

L
L
iv
28/8



DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS
DE

PHLEBOTOME.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. HERMANNI OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS, HUJUSQUE
THEOR. ET PRACT. PROFESSORIS
ORDINARII,
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu, &* *Nobilissimæ*
FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examini submittit
JOANNES GRASHUIS, Groninganus.
Ad diem 25. Juny. 1722. hora locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM Apud CONRADUM WISHOFF

F: Bleiswijck

PRÆCEPTORIBUS

DIGNISSIMIS

ET

AMICIS

CHARISSIMIS.



*Hanc qualemcunque disserta-
tionem dedicatam Volo.*

JOANNES GRASHUIS,

AUTOR.

DISSERTATIO MEDICO CHIRURGICA INAUGURALIS DE PHLEBOTOME.

1. Acturum me de Phlebotomia, qua Lippis & tonsoribus vix quicquam magis notum putat vulgus, mirabuntur forte multi; cum revera materies hæcce satis gravis non rite percepta quoad omnes ejus circumstantias, utilitatem, noxamve, flocci dum pendatur, multa & humano generi infestissima incommoda patret; quod si mecum considerare velit quisque hanc dissertatiunculam lecturus admirationem suam facillime deponet, &, procul dubio illud thema hac pertractatione dignissimum judicabit.

2: Phlebotomes Etymologiam dare non est quod diu immoremur, quum satis luculenter pateat eam deducendam a φλέψ Græcis *vena* & τεμνῶ *seco*, ideoque nihil aliud esse quam *Venæ sectionem*.

3. φλεϐοτομεῖν vel *Venam secare* est cultello Chirurgico venæ cuidam pro necessitate, lubituve electæ vulnusculum infligere, ut exinde profluat sanguis.

4. Huic Operationi subjungi solet a quibusdam Arteriotomia, quæ solummodo a priori in eo differt, quod in hac vena, in illa vero Arteria secetur: verum quum Arteriotomia tam rara sit, & præ metuenda insigni & sæpe letali hæmorrhagia, nusquam fere nisi in capite instituatur de Venæ sectione utpote intentioni Medicæ ut plurimum satisfaciente, tantum agere statui.

5. In omni Operatione Chirurgica rite administranda ad tria respicere oportet. (a) quid ante Operationem ipsam: (b) quæ inter eam. (c) & quæ post eam observari & adhiberi debeant.

6. Hinc unicuique antequam operationem hanc aggrediatur bene attendendum, num omnis qui requiritur apparatus in promtu sit, neve minimum quid deficiat: Supponimus enim nunc hominem sic dispositum cui Vena secari debet, potest.

7. Ante Operationem ipsam præsto sint

α. Ligamen ex linteo vel alia quadam materia confectum, pollicem unum latum, longitudine rationе partis quæ subliganda varium. quo vinciatur vena.

β. Scalpellus vel lanceola Chirurgica qua vena pertundatur, quæ optime temperata sit ne cito hebescat, & variæ magnitudinis ac latitudinis prout venæ incidendæ majores, minoresve sint. aptissima censetur apice peracuto & ancipiti in angulum satis acutum desinente.

γ. Excipulum quo sanguis exsiliens recipiatur, notis quibusdam insignitum, ut semper accurate pateat quantum effluxerit sanguinis, nisi quis forte diuturna praxi adsuetus hoc adminiculo opus non habeat.

δ. Vasculum aqua repletum ad partes sanguine forte commaculatas abluendas.

ε. Mantile purum in usum eundem.

ζ. Penicilli ex linteo ter quaterve duplicato, quibus occludatur vulnus.

η. Fascia satis longa, ad partem obligandam, splenia firmanda.

θ. Aciculæ quibus fascia firmetur.

ι. Si vero pars foveri debeat, aqua calida & mantilia calida adsint. nec non

κ. Spiritus quidam Cardiacus E. g. sal volat. oleos. sp. sal. am. &c. si æger forte Syncopen vel animi deliquium patiatur, vel in eorum loco aliqui solummodo aquam frigidam, eam si nauseabundi sunt ad faciem aspergentes vel acetum adhibent.

λ. Hisce alii adjungunt stiptica vel enæma Medicamenta ad compescendum nimis validum sanguinis effluxum, ast in centenis quibus adfui casibus iis nunquam opus fuisse expertus.

tus ſum. Alii bacillum quoque præſto habere jubent, quem æger manu ſua tenens brachium (ſi forte in eo inſtituatur operatio) eo ſuſtentaret, eumque manu circumvertendo muſculos in motu retineret.

8. Præmiſſo hocce apparatu, omnibus in ordinem ſuum rite diſpoſitis, ad ipſam Operationem propius nos accingamus, ubi primo conſideranda venit Patientis poſitura, quæ talis ſit ut ipſi commodiſſime Vena ſecari queat, quæ reſpectu venæ & partis in qua ſectio inſtituitur diverſimode appropriandа, quod accurate definiri vix poteſt: Unuſquiſque operaturus commodisſimam ſibi eligit. Interim decubitus ægri præ reliquis eligitur, quia tunc omnium optime univerſæ corporis partes quieſcunt, & ſanguini liberrimus conciliatur effluxus: ſemperque attendendum ut vena ſecanda luci ſolis vel candelæ accenſæ ſit expoſita.

9. Quænam Venæ utplurimum incidantur vix opus erit deſignare, quia omnes fere in corpore exterius ſub cute apparentes cultello Chirurgico ſubjici queunt. plerumque tamen eligi ſolent in Capite *vena frontis.* ad Collum *jugularis externa.* in ore *ſublingualis.* in Brachio *Baſilica*, *Mediana*, *Cephalica* dicta. in dorſo manus earundem rami; circa talum *Saphæna* & in dorſo pedis ejus ramus vel alius quiſque, ſic & *Vena Præputii.*

10. Hiſce a Veteribus multæ aliæ adjunguntur, quas pertundi quandoque volunt: ut in Capite, circa tempora, pone aures, ad angulos oculorum & ſic porro, quæ etiam a nonnullis recentioribus commendantur; verum cum exigui momenti hæc ſint, & raro inſtituantur, iis non inhærebo. qui plura de his deſiderat evolvat *Marc. Aur. Severini Lib. de Efficaci medicina.* quænam autem in hujus illiuſve venæ apertura differentia ſit, inferius forte locus inquirendi dabitur. hoc tamen obiter notandum haud adeo multum intereſſe ac Veteres multi ſibi perſuadebant, quænam ſecandæ eligantur venæ, modo talis ſit quæ, ab arteria & nervo aut tendine ſatis libera ſine illorum læſione diſſecari queat, ſatisque magna, oculoque expoſita ſit.

11. Ægro in ſitu ſuo ſic (8) collocato, & vena aperienda jam electa (pro exemplo ſumamus in brachio, cum parum in circumſtantiis differentiæ, verbo facile notandæ ſit, quænam pars corporis noſtri ſumatur) primo denudetur locus ſi veſtibus fuit indutus, quo facto Chirurgus calida ſua manu brachium (ex dato exemplo) paululum fricet, ut ſanguinis motus ad haſce partes âcceleretur, Venaque magis adimpleatur & intumeſcat, frictio enim hæc artificioſa quaſi ſyſtole & diaſtole naturali ſuccurrit. Jubetur patiens ut brachium extendat, Ligamento (7. α.) vincitur pars inter cor & locum ubi vena incidenda, quæ lex accurate ſemper obſervanda eſt. Hinc ſi in fronte, collo, ſub lingua ſimilive loco vena ſecanda eſt, ligamen ex duplicato linteo collo circumductum, ipſi ægro ambabus manibus conſtringendum datur, ſi vires vitæ hoc permittunt, quia ipſe anxietatem ibidem a compreſſione valde moleſtam optime moderari poteſt. Vena ſic conſtringendo mediocriter arctanda eſt, ut a ſanguine cui nunc liber tranſitus a tergo negatus eſt intumeſcat, bene cavendo ne ſimul nimis fortiter ligando comprimatur arteria; tum pars illa ſi opus ſit denuo parum fricetur, & omne adhibeatur conamen ut vena bene conſpiciatur, quod ſi quandoque effici nequit, digitorum apice ſaltem exploretur, accurate diſtinguendo a tendine, arteriâve vel nervo hic loci tam vicinis, & hoc ipſo tempore oculi acies aperturæ locum commodiſſimum eligit. Quo facto manu ſiniſtrâ dextrum brachium amplectitur, dextrâ vero ſiniſtrum, (Ambidexter enim Chirurgus ſit) & pollice ſuo venam paulo infra locum, acie viſus denotatum comprimit Chirurgus, ita ut vas teneatur fixum, cavendo ne cutis, ut multi ſolent, deorſum trahatur (tunc enim facta inciſione, cutis & venæ orificia ſibi invicem non reſpondent & ſanguinis effluxus ſiſtitur) ſed ſolummodo figatur. Sumatur Lanceola (7. ϐ.) pollice & indice manus liberæ, quæ evaginata in loco ſatis propinquo præſto ſit, Verum haud nimis prope ad apicem teneatur digitis, manus ipſa enim lucem plerumque tum impedit, nec remote nimis, ne fortaſſe directioni duorum digitorum minus

nus feliciter obsequatur cuspis. manus sic instructa ad locum dissecandum, a quo oculorum acies jam dimoveri non debet adducatur, & digitis reliquis liberis parti vicinæ adpositis, suffulciatur, ita ut pollex una cum indice jam curvati nudam lanceolam teneant prope venam, hos extendendo, porrigendo adigatur scalpelli acies intra ipsam Venam, & quidem oblique juxta ejus ductum, si enim recta secundum longitudinem adigatur, vena, parum forte dissiliens ab acie phlebotomi vel minime attingitur, vel non satis aperitur, quod ad hæcce non attendentibus sæpe accidit; nec etiam transversim est incidenda, ne penitus abscindatur, vel si id non contingat, vulnus, naturali partium contractione semper nimis amplum evadat & difficilius sanetur. simul ac sensimus cuspidem lanceolæ penetrasse in ipsum venæ cavum, eam parum elevando dissecamus, & vulnus satis amplum pro lubitu & venæ amplitudine infligimus, quo latius (cæteris paribus) eo melius, ut sanguini liber exitus concilietur. educto Phlebotomo sanguis exsiliat in excipulum (7. γ.) a famulo tenendum, sicque tamdiu continuetur donec desiderata sanguinis quantitas effluxerit: enimvero si nimis lente profluat vel penitus retardetur, quod a variis causis fieri potest, ægro mandatur ut, fortiter respiret, tussiat, musculosque vicinos perpetuo moveat, quibus sanguinis circuitus in his partibus acceleratur; sin vero a grumescente sanguine illud fiat, auferendus est; vel a particula quadam membranæ cellulosæ aperturam occludente, retro pellenda est si fieri possit, sin minus, peracta sanguinis evacuatione abscindatur. dum ea fiat dimovenda digitis.

12. Sanguine, ex Voto vel præscripto, sufficienti quantitate educto, fluxus ejus, nisi soluto ligamento (11. α.) sponte desinat, sistendus est, & apertura claudenda, sublato vinculo mox pollice vena paulo infra aperturam comprimatur, quo facto sanguis ilico sistitur: sumatur tunc mantile (7. ε.) aqua madefactum, quo sordes ab asperso sanguine abstergantur, idem alii spongia efficiunt, tumque penicillo (7. ζ.) aperturæ labia ad se invicem adducendo vulnus

ob-

obtegatur; fasciaque aciculis firmata arctetur, vestes demum si exutæ sint prudenter iterum induantur, brachiumque modice flexum ope linteoli ad pectus adfigatur, ut commode absque motu retineri queat. Animi & corporis quies patienti commendetur. Hæc de Operatione ipsa sufficiant.

13. Quam facilis egregia hæcce videatur Operatio, utpote in exigui vulnusculi venæ, oculis nostris patulæ, inflictione solum consistens, difficillima tamen & omnium fere pessima ipsam quandoque stipare Symptomata videmus; quorum quædam ex Chirurgorum imperitia, nonnulla etiam ex ipsius Operationis difficultate proveniunt. Investigemus itaque quænam mala eam subsequi solent, eorumque Diagnoses, causas, Prognoses, & indicicationes paucis perstringamus.

14. Primum quod hic occurrit vitium levissimum quidem est; sc. quando post intrusæ lanceolæ eductionem nullus subsequatur sanguis, quod a variis causis dependere potest; sæpe enim hominis, cui secanda est vena, obesitate occultatur vena quo minus oculo pateat, digitisque difficillime persentiri queat, unde lanceolam suam vel non profunde satis intrudens, venamve nequaquam attingens, vel si attigerit non perforans, Chirurgus, absque ullo fere sanguinis effluxu extrahit, sero errorem animadvertens, hoc in œdematosis similiter quandoque eveniet, ubi nullum vas venosum, nisi prius, facta compressione, remoto humore aqueo tunicam cellulosam adimplente & extendente, apparet: vel quando Venæ inanitæ & collapsæ sunt idem accidit, ut & quod Eruditissimus *Celsus* egregie animadvertit *si timide scalpellum quis demittat, summam cutim lacerat neque venam incidit*, addit Vir egregius *nonnunquam etiam ea latet, neque facile reperitur.* Dissilit etiam quandoque vas seseque cuspidi lanceolæ subducit, imprimis si paulo hebetior, cutis dura sit & vena laxa hæreat. Vocatur vulgo venæ sectio alba, quia nihil sanguinis fere prodire solet; de qua licet Ægro plerumque ingrata nil mali metuendum, repetatur ergo incisio, idem vulnus dila-

dilatando, vel de novo aliud infligendo ut ſanguis rite prodeat, quo error corrigitur.

15. Alterum quod vulgare, & haud magni etiam momenti hic obvenit, eſt quum pertuſa vena, ſanguine jam effluente, oritur ſubito tumor quidam lividus, tenſus admodum, preſſioni digitorum tamen cedens & ſeſe juxta aperturam manifeſtans, Thrombus audit Chirurgis a voce græca θρομβεω grumeſco: unde dicitur quod ſit effuſio ſanguinis jam grumeſcentis inter venam & cutim, in tunica celluloſa diſperſi, in eo ab Ecchymoſi, de qua mox, differens, quod ſubito tumorem faciat ſanguine effuſo, dum in altero caſu lente ſubter cutim diffundatur, dein quod ſatis citò iterum diſpareat.

16. Cauſa hujus mali eſſe ſolet, quod orificium venæ & apertura cutis reſpectu venæ non ſatis magna ſint, quare ſanguis ex vena prorumpens viam ſatis patulam qua foras tranſeat non inveniens ſub cute magna vi effunditur, & augetur, illud fere ſemper fit dum ligamentum (11 α.) nimis conſtrictum ſit; idem contingit quando apertura cutis & venæ ſibi non reſpondeant, dum una ſit ſuperior alterâ, ita ut ſanguinis liberior effluxus prohibeatur, cui ſæpe obnoxii ſunt ejuſmodi Chirurgi qui venam jam jam inciſuri, cutim, pollice ſuo firmatam, deorſum trahunt, quæ iterum ſibi relicta poſt factam inciſionem retro tracta naturaliter aperturam venæ multum occludit, unde thrombus oritur. Ergo omne id quod liberum ſanguinis effluxum prohibet, cauſa hujus Symptomatis eſſe poteſt. Simulac hoc apparet vinculum nimis arcte conſtrictum ſi ſit, ſi ico ſolvatur, quo neglecto tumor increſcit, ſed ſoluto vix adeo adaugetur; ſi vero aliqua ſanguinis quantitas emittenda adhuc ſit, effluat prout velit vel poſſit, (quandoque enim in initio, quandoque ad finem hujus actionis accidere ſolet) quo facto, mantili aqua frigida madefacto, locum intumeſcentem comprimito per exiguum temporis ſpatium, quo plerumque maximam partem minuitur vel evaneſcit intumeſcentia hæc. ſi autem nondum penitus diſparuerit, ſplenium aceto vini vel alio quodam adſtringente vel refrigerante

intinctum adplicito, & fascia obligato ut prius. tuncque effusus hic sanguis a resorbentibus vasis absorberi videtur, ita ut postridie vestigium vix reliquerit, nec plura mala patret. Si vero inflictum vulnus cutis venæque satis magnum sit, eorumque orificia perfecte quadrent, raro si unquam hoc Symptoma videre licet.

17. Hæc est vulgaris plurimorum Autorum Thrombi descriptio, hæ ejus causæ, hæc curatio: Mihi tamen cum aliis stat sententia, huncce adfectum, thrombum falso quandoque dici, & describi extravasatum grumescentem sanguinem; cum re verâ sit ipsius venæ dissectæ tunicarum laxatarum extensio, ab appulsu sanguinis violento per datam portam sufficienter effluere non potentis, producta, unde citissima ad locum illum ubi transitus versus cor vinculo denegatus est fit sanguinis collectio, quæ venæ latera distendit, & tumorem lividum, vaicosum forte dicendum parit, quod multis phænomenis & rrationibus me probare & confirmare posse, existimo.

18. Huic proxime accedit aliud Symptoma Venæ sectioni frequentissime superveniens, sc. Ecchymosis vel Ecchymoma, quod ab ἐκχύω effundo & αἷμα sanguis deductum, nihil aliud designat quam, sanguinis effusionem sub cute ex vasis læsis cum livore & aliquando nigredine; unde ejus Definitio & Diagnosis facile petenda.

19. Producitur plerumque quando cutis labia deligando ad se invicem quidem applicata, sed venæ ipsius non adeo accurate obthurata sunt, hinc sanguis huc propulsus & viam sibi quærens per rimulam apertam qua data porta exit, & quia per cutim tranare nequit, sub ea accumulatur, locumque illum livido colore tingit. aliquando etiam fieri solet, quia deligatæ partes nimis cito moveantur, Venæ labiis nondum consolidatis, dum labia cutis utcunque clausa sint.

20. Symptoma hocce a qualibet causa productum, haud magni momenti æstimari solet, quia plerumque sua sponte (si non nimis magnum sit) resolvitur, sin Majus, emplastro quodam resolvente dissipatur, vel si resolvendo non est, emplastro vel cataplasmate emolliente & maturante ad suppura-

purarionem promoveri debet, & depurato ulcere epyloticis consolidari atque ad sanitatem perduci.

21. Majoris moliminis & discriminis merito habetur, quando Chirurgus venam secando simul arteriam subjectam vel vicinam læserit; quod binis modis fieri solet, & frequens est in Basilicæ in brachio Venæ sectione. α. Quando arteriæ tunica exterior scalpelli acie læditur & discinditur parum, reliquis tunicis integris manentibus. β. ubi arteria perforatur penitus. In priori casu (α) hæcce contingunt: Sanguis minorem in circuitu resistentiam ibidem inveniens, & perpetuo in hunc locum arietans, arteriæ tunicas distendit & tumorem ampullosum format, qui nihil aliud est quam saccus arteriosus cruore plenus. Aneurisma dicitur, quod Græcis dilatationem in genere, Medicis vero & Chirurgis speciatim arteriæ denotat.

Hujus Diagnosis proprie est: Tumor mollis, pulsans (tam fortiter aliquando ut *Celeb. Hildanus* se casum quendam vidisse referat, in quo hæcce pulsatio talis erat ut pulvillos & fascias circumpositas in altum protruderet) quo major vero tumor sit eo minor pulsatio & contra; imo pulsum quandoque in maximis Aneurismatibus plane desiisse testantur nonnulli: lente inerescens, nonnunquam indolens, calens, colore rubello vel etiam subcærulescente splendens, compressum evanescens, iterumque laxatum in pristinum statum redeuns, & saccum cartilagineum aliquando, testante Egregio *A. Pareo* & Doctissimo Viro *Palfyn* formans: quæ omnia phænomena huic affectui uno momento non superveniunt, sed eo magis accrescunt prout Arteriæ tunicæ debiliores, sanguinis impetus velocior & vis vitalis fortior fuerint: inprimis si Chirurgus Vitium perpetratum eo quo committebat tempore non animadverterit, quod tactu ut plurimum a perito explorari potest, si inter secandum cultelli aciem, quæ tantum venæ cavitatem penetrare debet, in corpus quoddam durius & magis resistens irruere sentiat.

22. In altero casu (21. β.) alia sequuntur phænomena, quando sc. arteriæ tunicæ penitus perforatæ sunt, quod ex

Vehementissimo sanguinis effluxu saltuatim prodeuns statim patet, & signum diagnosticum hujus erroris est, cujus causa cuilibet manifesta est; hic effluxus difficile admodum cohibetur, & plerumque ingentem extra vasa effusi cuoris quantitatem in locis vicinis subcutaneis colligi efficit, præsertim quando arteriæ apertura una cum cutis orificio non exactissime obturatur, hæcce collectio perpetuo accrescens tumorem præternaturalem facit, qui Aneurisma spurium audit, & a priori (21) hisce dignoscitur & definitur; quod sit Tumor mollis, cito apparens & increscens, lividus, vix vel nullomodo pulsans.

23. Bina hæcce mala (21. 22.) diversimode tractanda & sæpissime periculosissima Patienti, Chirurgo difficillima superatu sunt; quare Verissimum est *A. Corn. Celsi effatum*: *Mittere sanguinem cum sit expeditissimum usum habenti, ignaro tamen difficillimum est, juncta enim est* inquit *Vena arteriis*.

Prioris sc. Aneurismatis veri (21.) indicatio hisce absolvitur. Simulac Chirurgus læsam esse arteriam animadverterit, omnem curam adhibere debet statim, ut majorem arteriæ dilatationem prohibeat, præsentem tollat, quod fit splenia, fasciasque tam arcte constringendo ut arteriæ tunicæ impulsui sanguinis perpetuo hic allabentis, & arietantis, resistendo aptæ sint, nec ullo modo ultra debitum tonum extendi queant: quod si hisce superari nequeat, adplicetur adstringens quoddam Emplastrum arteriæ fibras corroborans & confortans variis modis formatum & ab Autoribus compositum, licet hoc non tantum quantum vulgo sibi imaginantur, præstet, adponantur tunc penicilli ex linteo, aliave quadam materia molli, sæpius duplicato, hisce superimponatur lamina plumbea, omniaque simul fascia satis fortiter constringantur, ut sensim sensimque tumor comprimatur, tam diu continuando & pro tumoris diminutione arctius constringendo, donec omnino dispareat; Adhibitis interim reliquis adminiculis tam internis quam externis. ideoque Victus constet cibis tenuissimis, eupeptis, farinosis, lacteis, fructibus horæis, jure carnium, oleribus mollissimis & similibus parum con-

confortantibus; corporis & animi quies concilietur. V. S. licet hic adeo perniciosa fuit in alia parte omnino repetatur, cui subjungantur Enemata laxantia, & si vires ægri permittant purgantia, ut eo modo impetus & copia humorum diminuatur & revellatur, quod mirum levamen præbet; Vasa quippe nostri corporis simul ac quodam in loco inaniri cœperint, humores aliis in locis colligendos vel collectos, minorem hic resistentiam patientes ad se alliciunt & revellunt, sicque circulationem interpellatam egregie restituunt. Hæcce Medendi Methodus cum levissima sit, licet raro adfectum hunc integre tollat, prius & diu semper tentanda, quod quandoque si casus sit recens nec tumor adeo magnus omnibus hisce rite observatis feliciter absolvitur; uti Magnus *Hildanus in observationibus suis Centur. III. Observ.* 44. experimento suo hoc probat, qui tumorem Aneurismaticum ovum anserinum magnitudine adæquantem hisce sanasse se refert; cui similem casum tradit *Celeb. N. Tulpius Lib.* IV. *Observ.* 17. contra egregius *Pareus* sinistrum curationis hujus successum candide fatetur *Lib. VII. Cap.* 34.

24. Si omnibus hisce parum vel nihil in superando hoc difficillimo malo promoveatur, alio modo curatio instituenda & peragenda est. licet enim hujusmodi aneurisma sine magna noxa per multos annos gestari possit, quum tamen periculi plenum sit, ne quandoque vi quadam externa rumpatur tumor, vel inscitia cujusdam Chirurgi ægro curationem promittentis, aperiatur, quod plerumque letali hæmorrhagia ægri luere debent, (cujus notabilem casum habet modo laudatus Pareus) ad ipsam Operationem sc. arteriæ ipsius, ope filamenti, restrictionem accedendum.

25. Verum antequam Operationem hanc aggrediamur, bene attendendum; num arteria, in qua Aneurisma hæret, illi loco solum prospiciat, num vero plures habeat truncos comites, qui, hac deleta, defectum illum supplere valeant: si itaque solitaria sit, Operatio nullo modo instituenda, quia omnes illæ partes quæ ab hacce arteria dependent statim sphacelo vel marasmo corripientur & labor in damno erit. v. g. si quis

Arteriam brachialem ſupra cubitum, vel curalem ſupra genu filo conſtringere & conſolidare vellet, manus pediſque extremas partes præ inopia nutrimenti & caloris perderet. in tali caſu tumor ferri debet, adhibitis continue externis comprimentibus antea nominatis adminiculis.

26. Hoc bene animadverſo: ipſa operatio ſequenti modo abſolvenda. Applicetur primo, ne forte, improviſa superveniat hæmorrhagia, vinculum, quod parti circumducatur, applicata prius charta craſſa, ſpleniis linteis, ſupra locum adfectum ubi arteria ſolitaria comprimi facile poteſt, conſtringatur hocce Vinculum laxe, ut interpoſito bacillo (Tournequet) ſenſim magis magiſque illud contorquendo, arteria comprimatur ut ſanguinis effluxus pro lubitu arceri, ſiſti & laxari poſſit. Loco hoc a famulo per Tournequet ſic compreſſo, incidatur cutis eo loci ubi Tumor eſt, prudenter & leniter aperiendo donec dilatata arteria ſive ſaccus aneuriſmaticus ab integumentis denudatus, integer, nondum inciſus, ſatis conſpicuus appareat in omni ſua parte, ſeparetur paululum a vicinis cui adhæret partibus, immittatur tunc acus curva cujus caudæ cavæ trajectum eſt filum cera obductum ſubter arteriam uſque in latus oppoſitum & educatur; ſubducto hoc filo arteria tam arcte conſtringatur ut penitus certus ſis arteriam licet diſſectam infra hanc ligaturam, nullum ſanguinem extillare poſſe; hoc peracto ſaccus arterioſus cultello aperiatur, & omni contento ſanguine penitus depurgetur, tumque locus ille linteis carptis implendus: auferatur Tournequet & pars bene obligetur, & porro ut vulnus ſ. a. tractetur, niſi quod arteriæ tunica interior eſcarotico quodam tangi debet, quo excoriari ac facilius & breviori tempore conſolidari queat. Filum autem extra vulnus propendens poſt conſolidationem arteriæ auferatur; quibus omnibus accurate obſervatis abſolvitur operatio, minime enim opus, imo periculi plenum eſt, arteriam infra ligaturam penitus diſcindere, ut quibuſdam placet, quia filum abſciſſæ arteriæ alligatum validiſſima ſanguinis perpetuo allabentis vi & impulſu a ſuo loco facile detrudi, ſicque letalem

lem sæpe hæmorrhagiam excitare posset, quod aliter nunquam metuendum. Alii volunt arteriam ad inferiorem partem respectu tumoris habito æque quam ad superiorem filo constringi debere, ne forte propter communionem arteriarum sanguis refluus hæmorrhagiam producat, quod facile admitti potest.

27. Si vero ex datis (22.) constet arteriam penitus perforatam esse, alio modo procedendum est, omnis quippe opera statim adhibenda qua sanguinis effluxus sistatur & præcaveatur Aneurisma spurium, quod artificiosa deligatione aliquando præveniri potest. ideoque simulac Chirurgo pateat arteriam vulneratam sanguinem eructare, ægrum sibi tradit quousque syncopen patiatur, si conditiones præsentes hoc permittant, eodemque momento vulnus exacte comprimit, & splenia dura complicata imponit, quibus si opus sit lamina quædam plumbea, alteriusve durioris materiæ involuta sit, vel ejus loco applicat globulos ex papyro manducato confectos & sibi invicem superimpositos, quibus fasciis firmatis arteria penitus comprimatur, ita ut nullus exeat sanguis, pars summæ quieti mandetur. Methodus hæcce licet optima unico tamen & quidem gravi laborat incommodo, sc. quod fascia nimis fortiter adstricta inflammationem & gangrænam sæpe producit, laxata nimis hæmorrhagiam non sistit. ad difficile hoc malum præcavendum & tamen hæmorrhagiam compescendam egregium instrumentum excogitavit *summus quondam Amstelædamensium Chirurgus. Petrus Verduin* (*quale mihi exercitatissimus & genio, dexterritateque in Chirurgia practicus longe celeberrimus* ADRIANUS VERDUIN *Petri filius, cujus summæ benevolentiæ & humanitati plurimum debeo*, non solum communicavit, sed & probatum successum ad oculum exhibuit,) cujus ope arteria vulnerata pro lubitu comprimi & laxari potest, reliquis partibus vicinis interim satis liberis manentibus. Machina hæc constat ex annulo æneo aut chalybeo in modum armillæ fabrefacto ex binis semicirculis, una parte mediante cardine se invicem recipientibus, quo aperiri & claudi potest, alteræ extremitates sibi

in

invicem applicantur ope prominentiæ cujusdam usum noduli habentis, quæ a foramine quodam alterius semicirculi, cui varia ad augendam diminuendamve capacitatem insculpta sunt, excipitur. Per medium alterius semicirculi transit cochlea satis longa, ad cujus finem adnexa hæret lamella quædam rotunda, quæ ope istius cochleæ adduci vel retro agi potest.

Modus applicandi hanc machinam ex dictis satis manifestus est, annulus enim apertus parti læsæ, & fasciis spleniisque mediocriter circumductæ, induitur, nodulo suo clauditur, sicque vertitur ut cochlea, lamella ad finem instructa, parti vulneratæ perfecte respondeat, quo facto & annulo vinculo quodam solummodo firmato ne loco suo excidat, obtorquetur cochlea, hac lamella adducitur & compressionem pro lubitu moderari sic potest Chirurgus. hoc modo circulatio per reliqua loca vicina libera manet, neque Inflammatio, gangræna partis vel similia mala metuenda sunt, dum interim ipsa arteria multo melius occludatur & sanguinis effluxus sistatur quam per fascias effici possit. Hæcce omnia in illo statu firmiter retinenda sunt eousque donec arteriæ vulnus penitus consolidatum sit, nec religandum est vulnus antequam signa quædam sive pruritus, sive inflammationis sive fœtoris, illud necessarium esse indicant, quod ante tertium vel quartum diem raro contingit, cum arteria intra illud tempus in tantum coaluerit ut novus sanguinis exitus non metuatur, solvatur prudenter hicce apparatus & depurato vulnere applicetur denuo ut ante, cochleam paulo laxius retinendo, quæ omnia tam diu continuari debent donec vulnus penitus curatum & cicatrice obductum sit satis forti.

28. Aneurisma spurium simili fere ac (26.) apparatu indiget, Torcular enim omnino necesse habet, quippe incisa cute sanguini ex arteria liber patet exitus qui negari debet, iisdem adhibitis ac in Aneurismatis veri operatione cautelis, ligatur arteria ope fili cera obducti: quidquid enim alii de causticis, adstringentibus, stipticisve medicamentis vel globulis papyraceis hic jactantur, prudens Chirurgus nunquam his confidet.

(29.) Omnium

29. Omnium vero quod V. S. male institutam quandoque subsequitur, funestissimum symptoma, est Nervi, Tendinisve vicini aut subjecti punctura, quæ in brachio frequentius & facilius evenire solet, quando vena prope ipsius cubiti juncturam secatur, ibi enim nervulus quidam in multis hominibus venam transversim supergreditur, qui in obesis tactu vel visu vix manifestus est, contra in emaciatis Chordæ adinstar aliquando apparet: hinc Chirurgus imperitus ad hæcce nihil attendens facile nervum talem vel & subjectum lædit, vel si nervi venæ propius subjacent ut in eâdem juncturâ & in metacarpo vel similibus locis; idem tendini accidit: cujus cum symptomata cum nervo læso fere congruant, eademque in utrisque requiruntur remedia, una serie brevitati studens comprehendam.

30. Diagnosis nervi tendinisve læsi ex dira malorum eos concomitantium syndrome facilis est; æger quippe in ipso actu vehementissimum & acutissimum dolorem experitur, qui iterum paululum evanescit, verum duodecim horis post, aliquando & tribus, pluribusve diebus redintegratur, non solum in loco vulnerato, sed & omnibus vicinis, quæ per gangliones & ramos cum eo communicant, usque ad axillas plerumque: ex ipso vulnere saniosus quidam humor extillat. dolor in initio est obtusus nonnunquam & vivus, acerbus, molestissimus, sensim latius proserpens, perpetuo increscens cum calore, rubore, tumore, inflammatione late dispersa; hinc febres, insomnia, deliria, convulsiones, quibus decrescentibus remanet partis istius insensilitas, rigiditas & immobilitas. quæ omnia eo pejora & vehementiora, quo nervus major, magis tensus & laceratus sit, si enim penitus dissectus est omnia Symptomata mitiora, imo quandoque fere nulla, nisi forte plurimi rami a retrosiliente abscisso trunco ortum suum trahant, qui ulterius infixi & contracti tensionem adaugent, distractionem minitantes, unde dolor acutissimus.

31. Priusquam ad dirissimorum horum malorum Indicationem transeam, haud inutile mihi visum fuit ea paulo altius diducere & manifestius explanare, ne in curandis hisce aliquomodo

do cespitemus: haud difficile est, rationem summi & atrocissimi hujus doloris indagare, cum ipsum sensus organum læsum sit: ingens tamen discrepantia datur inter nervos corporis nostri quoad sensum & dolorem, dantur enim plurimi nervi a cerebro oriundi qui, etsi læsi sint, dolorem vix præbeant, e contra alii quam minime puncti, aut lacerati, vehementissime dolent; ratio a nervorum situ & locatione ut plurimum petenda est. Omnibus enim experimentis, quantum novi, liquido patet, dolorem nihil aliud esse quam nervi jam jam rumpendi extensionem; simulac nervus penitus diffractus est, omnis evanescit dolor: ideoque nervi in nostro corpore quo plus naturaliter sunt expansi, & minus flaccidi, eo dolorem intensiorem faciunt. hinc nervi periosteo unguibus & similibus partibus adfixi, si parum modo lædantur acutissime dolent. contra alii mollioribus tantum partibus impensi, & laxi hærentes, sine magno doloris incommodo quotidie vulnerantur & læduntur. Constat vero jam ex Anatomicis, nervum oculis nostris sensibilem, nihil aliud esse quam fasciculum infinitarum fibrillarum, quarum singulæ membranulis involutæ sunt: adeoque si talis nervus conspicuus tensus dimidiatim abscinditur, quæ superest dimidia pars fibrillarum nunc patietur omnem vim quam antea omnes, nervum hunc constituentes, & a resilientibus fibrillis retractæ integræ, magis tenduntur & distrahuntur, in quo proprie dolor consistit, remanet & augetur, his, illis fibrillis sensim magis rumpentibus.

Hinc ratio facile diducitur reviviscentis illius doloris post aliquot horas, diesve, omnia loca vicina infestantis; nervi enim puncti & dilacerati, quando sibi committuntur, retrahunt se magis magisque, & vicinos in consensum trahunt; hinc deducenda causa obstructionis, tumoris, inflammationis ingentis & tam late prorepentis. Membranulæ quippe quibus illæ fibrillæ involutæ sunt, ex cerebri involucris oriundæ, infinitisque vasis, id demonstrante *Cl. Ruischio*, sanguineis, arteriosis, venosis & lymphaticis instructæ, simul cum nervis contrahuntur, hinc earum vascula comprimuntur, & sub aliis partibus recondita vasa vicina eâdem contractione

oc-

occluduntur, inde obſtructio, & ab auctâ in parte reſiſtentiâ major pulſatio & inflammatio, quæ, perdurante cauſa, augetur, ad ipſius nervi originem vel gangliones proſerpit, diverſos tumores plerumque variis in locis procreans, partes muſculoſas, tendinoſas, nervoſas earumque membranas adficiens, a quarum cum cerebro, cerebello, & ſpinali medulla communicatione inquietudines, deliria, ſpaſmi, convulſiones & id genus alia.

32. Omnia hæc Symptomata (30 & 31) cum funeſtiſſima & ſæpe letalia evadant, omne molimen requirunt ut in initio præcaveantur. quare ſimulac ex ſignis (30) pateat, nervum eſſe læſum, ſtatim pauxillum calidi, & penetrantiſſimi V. G. Ol. Tereb. Balſ. Peruv. &c. loco affecto infundatur, vel ſpatula calida quantum fieri poteſt imprimatur: Aër frigidus, quippe nervis inimicus ut *Hipp.* bene monuit *Aphor.* 18. *Sect.* v. arceatur, & hoc modo nervus quaſi cauterio aduritur, ſenſum amittit, & omnia Symptomata præveniuntur ut *Celeb. Pareus*, aliique tradiderunt.

33 Hoc vero ſi non ſuccedat, aut neglectum ſit, & Symptomata illa (30) ſe manifeſtant, eadem quæ in magnis inflammationibus ſolemus, adhibenda, & omni ſtudio incumbendum, ut pars & æger integre ſerventur. Mittatur ergo ſangius ingenti copia, licet enim V. S. huic infeſtiſſimo malo anſam dederit, omnino tamen neceſſaria eſt, utpote in omni inflammatione ingenti primarium remedium præbens; Clyſmata refrigerantia, nitroſa injiciantur, & purgantia antiphlogiſtica dentur, ut alvus retineatur laxa. Victus ſit tenuis, corporis & animi quies concilietur, Veneris uſus & hujuſmodi plura quæ nervos valde adficere ſolent ſummopere vitanda. interim parti vulneratæ adplicentur talia quæ inflammationi maxime reſiſtunt; qualia ſunt v. g. Unguent. Alb. Camphorat. toti parti adfectæ magna in quantitate imponendum, vel fomentum aut Cataplaſma reſolvens, quale vide apud Cl. *Sydenhamum* ad finem Capitis de Pleuritide. Si vero his non cedat inflammatio neque reſolvendo eſt, indicatio eſt mutanda, ejuſque loco adhibenda ſunt emollientia,

digerentia & maturantia fomenta, & cataplaſmata; quæ unuſquiſque pro ſuo lubitu componere poteſt, in ſummo enim gangrænæ & ſphaceli periculo verſatur pars adfecta; nec prætereundum hic quod a multis Authoribus in primo initio commendatur, & mirum levamen ſæpius adfert, ſc. orificium ipſius vulneris incidere ut aperiatur magis; nervo denudato plumaceolum balſamo quodam ipſi amico imbutum imponatur, aër frigidus arceatur, & quoties deligatio fit, calidus, ſuffumigio ex Maſtyche, Olibano vel ſimili impraegnetur. Hiſce medicamentis ſi in abſceſſus terminatur hæcce ſumma inflammatio, variis in locis ſe manifeſtantes, hi aperiendi, mundandi, ut dicunt, & curandi ſunt ſ. a. Nonnulli Autores integrum nervum læſum mox diſcindi volunt, quibus facile adſtipulor, omnis enim dolor, convulſio, tenſio &c. inde dependens, hoc modo tollitur. Quibus omnibus nunc recenſitis ſi malum non debelletur, ſed continue increſcat inflammatio, eique ſuperveniat Gangræna vel Sphacelus, pars ilico amputanda, cujus Operationis deſcriptionem quum a ſcopo meo nimis deviaret, prætcribo.

34. Symptomata Venæ ſectionem male peractam ſubſequentia, una cum iis quibus illis ſuccurrere ſolemus ſatis ſuperque demonſtraſſe mihi videor. Licet enim quandoque variæ Fluxiones, vel inflammationes, ex ſingulari corporum diatheſi, ſuperveniant, haud magni momenti ſunt, vel alibi ubertim docentur. Reſtat demum ut Coronidis loco paucis perſtringamus, quibuſnam in caſibus conveniat, quibus vero noceat Phlebotome. Quam latiſſimus hic mihi campus aperiretur ſi per ſingula quæque divagarer, ſi quaſlibet diſcrepantium in hiſce Autorum ſententias, toto coelo differentes referrem & ſingulorum rationes ponderarem! depoſito itaque quantum fieri poſſit, omni præjudicio, ſincere & brevius ad paucas quaſdam regulas me reſtringam, quibus expoſitis haud difficile forte erit omnia reliqua intelligere, eoque referre.

35. Cuilibet ad ipſam rem attendenti patebit clare, Venæ ſectionem proprie nihil aliud efficere, quam ſanguinis quanti-

tita-

titatem & velocitatem vel motum imminuere, minime vero qualitatem; licet haud inficias eam, ſanguinis qualitatem V. S. ſæpius corrigi: verum hoc ſolummodo effectum eſſe ipſius naturæ (ſic voco omnes functiones corporis ſimul ſumtas) in ſuam conſervationem, ſimulac obſtacula removeantur, operantis, minime vero ſanguinis miſſionis, quis non videt? ingens enim multorum error eſt craſſos, coagulatos & loca obſtructa aut adfecta obſtipantes humores venæ ſectione elici poſſe & ſic curari, dum contra mobiliſſimus & maxime agilis ſanguis primus exeat. Ex quibus nunc manifeſte patet Venæ ſectionem omnino neceſſariam eſſe in quolibet morbo ubi ſanguis quantitate peccat, & velocitate, in toto corpore vel quadam parte.

36. Huc ergo omnium primo plethora pertinet, quæ ſimpliciter obſervata nihil aliud eſt, quam boni ſanguinis copia major quam quâ noſtra natura ad functiones ſuas rite excercendas opus habet, unde turbantur illæ. Morbi ex plethora inducti ut V. g. Inflammatio, cordis palpitatio (ex nimis diſſtentis vaſis vim liquidi haud ſuperare potentibus) & id genus plura alia; V. S. ſummopere deſiderant, copiam enim deminuendo tonum naturalem vaſorum reſtituit, obſtructiones imminentes præcavet, natas ſolvit & revellit, concretiones impedit, ſicque omnes ſecretiones & excretiones mutatas vel impeditas reſtaurat. Idem de Apoplexia, Lethargo, Suffocatione & ſimilibus morbis ex eâdem cauſâ natis ſtatuendum eſt.

37. Nec minorem efficaciam præſtat V. S. in morbis ex motu ſanguinis aucto, ortis, nimis unde ſæpiſſime deſtructiones partium & mors, vel obſtructiones errore loci h. e. globulis ſanguineis in vaſa ſeroſa adactis & tranare non potentibus & ſic in cæteris, hinc inflammationes varii generis. a ſtagnatione enim liquidi arterioſi, diſſipata per motum fluidiori materia ad extremitates vaſorum capillarium obſtructione nata, humores a tergo propellentes & in loca obſtructa arietantes, continuum motum & attritum faciunt, Obſervante id pulcerrime micro-

ſcopiis ſuis *Leeuwenhoeckio*, hinc calor augetur, dum vaſa jam infarcta & turgida vicina comprimunt, Obſtructiones & inflammationes aſſidue augentur. Ergo ſanguis mittatur majori, minorive copia, pro ætate, ſexu, morbi vehementia, reliquiſque circumſtantiis: quo ſanguis minori copia & velocitate ad loca obſtructa appellens, aucta fibrarum arteriarum vi contractili, & tono utcunque reſtituto, impacti reſolutio & revulſio egregie efficitur; quæ omnia latius eruere a ſcopo meo nimium deviarent, imprimis cum infinitis experimentis hæcce evidentiſſima ſunt.

Ergo in omni inflammatione tam externa quam interna conducit V. S. ſive ſit Phrenitis, Pleuritis, Peripneumonia, Nephritis, aliorum viſcerum partiumve inflammatio, imprimis florente ætate & virium vigore. in variolis magno cum ſucceſſu ſe ſæpiſſime Venæ ſectionem adhibuiſſe teſtatur *Doctiſſ. Baglivius*. Quo autem morbus velocior, acutior, initio propior & vis vitalis fortior, eo magis neceſſaria, imo ſæpe repetenda quando Symptomata nihil remittant.

38. Huc referri etiam debent omnes illi caſus, in quibus licet inflammatio præſens nondum ſit, certiſſime tamen ſubſecuturam cernimus ex ſignis præſentibus, ut in magnis contuſionibus, Luxationibus, oſſium Fracturis, præſertim ubi ſummi dolores adſint, & quandoque in Ecchymoſi magna; ubi vaſa coarctata, diſtenta & compreſſa vel turgida obſtructiones, & inde natas peſſimas inflammationes & Suppurationes procreant, quæ eo pejores quo pars inflammata nobilior, obſtructio major, & vis vitalis fortior fuerit. quantum boni in hiſce V. S. præſtet, humorum in loca infarcta irruentium copiam & vim minuendo, vaſa reliqua evacuando, & hinc reſolutionem & revulſionem, imo reſorptum jam infarctorum promovendo *H. Boerhave Celeberrimus Profeſſ. hujus Academiæ illuſtre decus*; in Aphoriſmorum libro, ſuiſque prælectionibus practicis luculenter demonſtravit, & variis experimentis confirmavit.

39. Omnes animi corporiſque motus vehementes & mutationes ſubitaneæ V. S. ſummopere efflagitant; Sanguis enim mo-

motu ipſius corporis aut animi adſectibus v. g. ira, gaudio, terrore magno, velocius agitatus; vel in motu ſuo mire mutatus, obſtructiones omnium generum facile creat, inflammatorias, ſcirrhoſas &c. imprimis ſi motum illum ſumma quies excipiat, quæ ut plurimum liberali ſanguinis miſſione in ortu ſuo profligantur, adhibitis ſimul aliis medicamentis ipſi morbo oppoſitis.

40. Conducit præterea maximopere ad obtinendam revulſionem vel attractionem, h. e. quando Medicus ſanguinis circuitum quadam in parte diminuere, ad aliam augere velit. fluida enim noſtri corporis eo verſus magis propelluntur, ubi minima datur reſiſtentia, ubi vena ſecatur, ibi pars corporis eo tempore debilitatur, & derivatur velocitas motus in hanc, quod in Pleuritide, Apoplexia & ſimilibus morbis adeo manifeſtum eſt, ut totum curationis arcanum in eo fere ſolum conſiſtat; hac revulſione & derivatione diriſſimæ inflammationes optime præcaventur, natæ diminuuntur, & reſolvuntur impacta, ut ſupra jam innuimus, quod etiam inprimis locum habet in magnis hæmorrhagiis, hæmoptoë pulmonis & aliis ſanguinis effluxionibus nimiis: quo autem locus adfectus a vena aperienda ſit remotior (dum interim libera fuerit communicatio) eo felicior ſuccedit revulſio, ut in Apoplecticis hæmorrhoidum ſolutio vel ſaphæna ſecta longe plus præſtare ſolet, quam quidem aliarum venarum apertiones. ſic in delirio & ſimilibus. ex quibus quæſtio illa ſponte ſolvitur; num, & quænam differentia ſit in eligendis venis ſecandis, quod *Hippoc.* minime latuit; qui dicit *ſect. III. De Natura Hom. Hæ mittendi ſanguinis rationes ſervandæ ſunt, ſtudendumque eſt, ut quam longiſſime a locis in quibus dolores fieri & ſanguis colligi conſuevit, venarum ſectiones fiant.*

41. Ex hiſce (a 35 ad 41) nobis patuit, quid, quando & quibus in caſibus & morbis V. S. proficiat, & vix ſcio ullos dari qui ad hæcce referri non poſſent. Sic v. g. quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, venæ ſectionem ſæpe neceſſariam eſſe, etiam ex *Hippocrate* notum eſt, ſed quid eſt quod illam indicat? Plethora, de qua ante. Similiter in quibuſdam

Epi-

Epidemicis, Endemicisve morbis V. S. conducit, quod ex ipsius natura quæ ad classes eorum quæ dicta sunt facile referri poterit, petendum est.

42. Enimvero licet plurimi dentur morbi, quibus sanguinis missio summum levamen adferat, imo sæpe unice profligat, non minores tamen sunt, quibus maxime nocet, ideoque optimum *Venerandi senis* monitum est: *conare ut te naturalem Medicum exhibeas, ad hominis habitum & vires respiciendo.* ac dolendum sane est, Medicorum multorum præjudicium, dum hi cum *Botallo* venam ubique & in quolibet morbo, illi cum *Helmontio* ejusque sequacibus nusquam secare suadent, in summum ægrotantium & Medicæ artis gloriæ damnum. Nos mediam viam ingressi, Venæ sectionis utilitatem & necessitatem plurimis in morbis summis laubibus extollimus atque omnino commendamus, in aliis vero summopere dissuademus, in primis vero omnibus iis, ubi nec copia neque velocitas motus sanguinis diminuendus, imo vero promovendus sit, quales fere omnes morbi Chronici, ut Phtisis, Lucophlegmatia, Hydrops, scorbutus & id genus plures. quo etiam pertinent difficillimi illi morbi Hypochondriaci, & Melancholici, in quibus Hepar Lienque obstructum & crassa, lenta, atrabilaria materie infarctum omnia illa mala patrant, his pessimo cum successu sanguis elicitur, quia humorum fluidiorum diminutâ copiâ & volocitate, obstructiones maxime augentur, vis vitalis ad eas deobstruendas debilitatur. Huc pertinent quoque corpora & morbi ubi debilitas, flacciditas, acidum, vel pituita prædominantur, sive ex propria vasorum diathesi, sive ex virium prostratu a magnis evacuationibus, hæmorrhagiâ, lochiorum fluxu, diarhæâ &c. nec non ubicunque parum fluidi cruoris in corpore superest ut in emaciatis, attrophicis, eo enim educto, reliquus ad circuitum non erit sufficiens. Senes ergo & infantes ob rationes jam præmissas venæ sectione excipi debent, nisi summa urgente necessitate, & tum parva tantum copiâ.

His adjungi possent adhuc alia quædam observata, verum quia hæc variis locis exhibita sunt, reliquaque facile a perito adnectantur, ne dissertationis limites extendam, dictis hisce supersedebo.

F I N I S.

